

discedat? Neque enim locus ipsum sequetur si immobilis sit, et immobilis cum sit, locus amplius non est, cum nullum amplius contineat locatum. Vel ergo vacuum ibi fiet, quod ab eo non est concessum. Vel superficies confundetur; et in unam molem cum suo corpore coabit, atque ita immobilis non erit. His ergo omnibus rationibus falsum esse apparet, Locum, duobus tantum constare intervallis; et verum esse, constare ipsum, intervallis tribus, quibus tria corporis locati intervalla capiantur. Ita ut longitudo loci, longitudini locati, et latitudo, latitudini, et profunditas profunditati, et correspondeant, et omnino sint inter se æquales. Locus ergo integer erit, non superficies ambientis sola, sed profunditas etiam, intra superficiem existens, simul cum illis. Sed quid nam? Ambiens, corpus est; quod locatur, corpus itidem est, corpora ne duo, profunditatibus suis, se se penetrabunt? Et corporum penetratio concedetur? Id vero impossibile est. Locatum corpus, profunditatem suam, locum ingrediens, et inde egrediens, secum semper gerit. Locans vero corpus profunditate sua, locati profunditatem et recepit prius, et dimisit postea, ut secum auferret. At quo nam locantis profunditas abierat, dum locati profunditas reciparetur? Id ne imaginari quidem licet. Ergo necesse est, ut locans corpus, dum locatum recipit, ipsum totum inde discedat, et spaciū quod ibi immobile est, relinquat se ipso vacuum, ut ingrediente corpore impleatur. Et hoc itidem recedente toto, spaciū illud ipsum, quod ibi est immobile, aliud ingrediens recipiat corpus. Atque ita spaciū illud, idem semper, et immobile semper, longum, latum, et profundum stare necesse est, ut egredientia omnia dimittat, et ingredientia omnia recipiat corpora. Vel corporum penetratio dabitur. At hoc impossibile est. Illud ergo est necessarium. Hac ergo mutatione, et spaciī semper eiusdem mansione, liquido constat, locum aliud esse a corporibus locatis. Manet enim ille, hæc vero alia, atque alia, et ingrediuntur, et regrediuntur, nihil illo dimoto. Unde communes hæ loci notiones, ab omnibus philosophantibus confessæ, et concessæ; Quod locus aliud sit a locato; et quod locus maneat immobilis; locata vero corpora ex uno loco, in aliud moveantur. Cum autem dicitur locum esse aliud a locato, ita est accipiendum, ut locatum omne, corpus sit: locus autem sit non corpus, ne scilicet duo corpora se se invicem penetrent. Ergo locus, quia corpus non est, necessario erit spaciū trina dimensione præditum, longitudine, latitudine, atque profunditate, quibus corporis locati longitudinem, latitudinem et profunditatem in se recipiat, et capiat. Et spaciū tale trinum, verus est locus, aliud a locato, immobile per se, et locato corpori quaqua versum æquale. Locus ergo proprium spaciū habet, diversum a spacio corporis proprio. Imo spaciū ipsum trinum, vere est locus; et locus vere est spaciū trinum. Neque spaciū loco accidit, sicuti corpori accidit. Proprium enim corpori naturali, qua corpus naturale est antitypia illa est, et quam vocant anteresim. Hoc est resistantia, et renitentia. Quæ renitentia, trinon illo spacio opus habuit, ut subsisteret. Qua ratione tres distantiæ, sunt fere corpori, tam alienæ, quam fuerant corporeis. Loco vero ita propriæ sunt, ut ei non accident, aut ei aliunde accedant, sed ipse locus, non sit aliud, quam distantiæ illæ. Et spaciū, verus sit locus. Et locus, verum sit spaciū. Ita vere dictum fuerit. Loci potentiam admirabilem quandam esse, et omnium primam. Locus enim natura, ante corpus ita est, sicut corpus est, ante corporea. “Nam sine quo aliorum nihil est, et id sine aliis possit esse, necessario, primum est.”

Verum locus, non ne relatione dicitur ad locatum? Sicuti relatione ad filium pater dicitur? Id ita esse consensu omnium est firmatum. Verum sicuti pater, si relatio cesset ad filium, est etiam vel animal aliquod, vel homo, ita locus, sine locati relatione, potest aliquid per se esse. Id autem veteres vacuum vocavere; hac scilicet altera ratione, ut spaciū idem, si corpus contineret, locus appellaretur. Si vero nullum contineret corpus, vacuum nominaretur. Re autem vera eadem res essent, vacuum, spaciū, plenum, et locus. Qua plenum corpore est, esse locum; qua vero sine corpore est, esse vacuum. Atque ideo vacuo huic necesse est, communes esse tres illas dimensiones, longitudinem, latitudinem, et profunditatem, sicuti et loco. Et vacuum ipsum, non aliud esse, quam trine dimensum spaciū. Quid ergo, spaciū ne in rerum natura reperiatur, quod vacuum sit re vera, et nullo